



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Dominarium Monasterium, in sinistra Limagi situm, vulgo Frauenmünster  
zu Zürch/ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

*Multorum mores, multorum vidit & urbes.*

Post Hierosolymitanam peregrinationem Eques auratus factus est. Interfuit Concilio Constantiensi, cujus historiam exacte ipse descripsit: scripsit item peregrinationum suarum Hodeporicon. Is cum conjugē suā, Domina Sibylla à Lentersheim, in templo Schvvabachiano, ante aram S. Catharinæ, à se fundatam, terræ omnium parenti redditus est.

12. *D. Martha à Druppach*, Dominae Christinae supradictæ ex fratre Nicolao neptis, præficitur à Brandenburgensi Marchione Alberto & nobilitate Francica, anno 1549. cum paulo ante sororem Walburgin illic insignem monialem, medendi etiam facultate & arte percelebrem, morte sublatam humasset, quam tali ego epitaphio posteritati notam reddere volui.

*Huc sua Walburgis posuit demortua membra,*

*Quæ de stirpe sua Druppachiana fuit.*

*Nobilis à patris natalibus: at pietate*

*Nobilior, facie nobilis eximia.*

*Corpus in hac surva tenerum tellure quiescit,*

*Spiritus in superis vivit oratq; choris.*

*Romanis quod erat Pæbo atq; Coronide natus,*

*Ædibus hoc nostris Druppachiana fuit.*

*Hoc statui æternum monumentum Martha sorori*

*Concordi imprimis unanimiq; meæ.*

*Quod testetur, in hac ipsam visisse palestra:*

*Inscriptus cœli est spiritus ipse libris.*

*Monachorum  
Aurachii  
Cenobium.*

Est in eo ipso tractu ad fluvium Aurachium aliud cœnobium, monachorum Aurachii appellatione notum, ordinis D. Benedicti. Id à Baronibus Auracensibus fundatum, postea vero ab Episcopis partim Bambergensibus, partim Marchionibus Brandenburgensibus liberaliter donatum esse dicitur. Id nec monachos nec Abbatem amplius habens, à Marchionibus occupatum est, & à quæstore hoc tempore providetur.

**D**OMINARUM Monasterium, in sinistra Limagi situm, vulgo *Seauenmünster zu Zürich* / Canonissarum ex illustribus plerum-

plerunq; Principum, Comitum ac Baronum familiis natarum, ampliffimum opulentiffimumq; olim collegium, fundatur anno Domini 833. in pago Tigurino à Ludovico, Germaniæ, Bavarie & Oſtrofrancorum Rege, Ludovici Pii filio, Imperatoris Caroli Magni nepote, Lotharii vero Imperatoris fratre. Is huic cœnobio jus & advocatiam Tigurini pagi, in ducatu Sueviæ ac Turgoviensi tractu ſiti, cum Uri Lepontiorum & Urfellanorum pago poſſidendum dedit. Abbatiffarum ejus collegii talis extat catalogus, à *Stumpfio*, Helvetiorum Chronographo, congeſtus.

Abbatiffarum catalogus.

1. *D. Hildegardis* Regina, filia Ludovici Regis primi fundatoris. Hæc anno Chriſti 858. donatur à patre Ludovico Rege omni dominio Comenſi ad lacum Tuginum ſito. Obiit anno Domini 860.

2. *D. Bertha*, & ipſa Ludovici Regis & Hemmæ Reginæ filia, ſucceſſit Dominæ Hildegardi germanæ ſori ſuæ: quam multis privilegiis & immunitatibus donavit pater anno Domini 864. & anno 869. avunculus etiam, Rex Lotharius, Imperatoris Lotharii filius. Hæc ipſa domina ſub Rege Carolo Craſſo fratre ſuo abſolvit inchoatam Baſilicam monaſterii ſui Tigurini. Obiit anno Chriſti 881.

3. *D. Giſela* ſucceſſit Dominæ Berthæ. Conſequuta eſt jus eudendæ monetæ à Carolo Craſſo Imperatore.

4. *D. Richardis* Imperatrix, Caroli Craſſi relicta & ſegregata conjunx ex donatione mariti, & hujus Tigurini, & Secanici ad Rhenum ſiti Canoniffarum collegii præcipua gubernatrix fuit.

5. *D. Utha* ſucceſſit Richardi, commendata & promotà à Salomone de Ramschwag, Epifcopo Conſtantiensi & Abbate Sangalleni, qui adoleſcens ex ea vitata prolem fœminei ſexus exceperat, in eodem cœnobio alitam & tandem nobili cuidam Nottgero deſponſatam.

Salomon de Ramschwag.

6. *D. Regilinda* præfuit circa annum Domini 952.

7. *D. Mechtildis*, Comitiffa Tirolenſis, ſucceſſit Regilindi. Hæc alteram turrium Baſilicæ ſuæ Tigurinæ conſtruxiſſe legitur.

*Handwritten notes on the book's spine:*  
 Chronologia  
 Monasterio  
 in Germania  
 S. M.



Conjuges  
facta dis-  
cessione  
monaste-  
ria ingre-  
diuntur.

8. *D. Hedowigis*, conjunx Selingeri, Baronis à Wollhusen, quæ amissis liberis suis (qui in lacu quodam submersi perierant) solitariam vitam eligens, coenobium hoc ingressa, tandem Abbatissa ac gubernatrix ejus designata legitur. Maritus ejus, Selingerus Baro, in Einsidlense monasterium secedens, ibi etiam tandem anno Domini 1070. Abbas monachorum designatus est. Post hanc Abbatissam aliquæ desiderantur, quarum nomina veritate absunta interciderunt.
9. *D. Mechtildis* à Wunenberg præfuit circa annum Domini 1256.
10. *D. Juditha* ab Hagenbuch præfuit anno Domini 1264.
11. *D. Elisabeta* à Tengen præfuit anno Domini 1274.
12. *D. Elisabeta* à Spiegelberg præfuit anno Domini 1293.
13. *D. Khunigundis* à Wasserfletz obiit anno Domini 1299.
14. *D. Elisabeta* à Kramburg præfuit anno 1306.
15. *D. Anna* ab Attingshusen, ex Leopontiorum finibus nata, præfuit circa annum Christi 1315.
16. *D. Elisabeta*, Comitissa de Wezikon, præfuit annum Christi circiter 1339.
17. *D. Elisabeta* à Matzingen gessit baculum pastoralem circa annum 1342.
18. *D. Anna*, Comitissa à Bonstetten, Joannis Comitis Tiguri capti anno 1350. & Hermanni, Abbatis Sangallensis, germana soror, præfuit ante & post annum 1350.
19. *D. Fida*, Comitissa de alta Rupe, vulgo von Zohenflinggen/ obiit anno 1358.
20. *D. Beatrix* à Wollhusen, obiit anno 1398.
21. *D. Anna*, Comitissa à Busnang, obiit anno Domini 1404.
22. *D. Benedicte*, Comitissa à Bechburg, præfuit anno adhuc Domini 1408.
23. *D. Anastasia*, ab alta Rupe Comitissa, præfuit tempore Concilii Constantiensis ante & post annum 1415.
24. *D. Anna*, Baronissa ab Heuwen, præfuit anno 1438.
25. *D. Sibylla*, Comitissa de Helffenstein, præfuit ante & post annum Domini 1484.

26. *D. Eli-*

26. D. *Elisabeta*, Comitissa de Wissenburg, praesuit anno Christi 1489.

27. D. *Catharina*, Baronissa a Zimbern, praesuit anno Christi 1499. ultima hujus collegii Abbatisa, quae quinta Decembrium anni a nato Christo 1524. gubernationem consulibus & Senatu urbis Tigurinae resignans, accepta mediocri pensione annua nobili cuidam viro a Rischach nupsit. E regione hujus amplissimi & hodie in scholam mutati collegii est in editiore colle ultra fluvium Limagum insignis Basilica pro 24. Canoniceis, a Carolo, Francorum Rege, postea Magno cognominato, in honorem sanctorum Felicis, Regulae & Exuperantii, constructa & amplissime dotata, annum Christi circiter 760. quo optimus Rex, venationi deditus, ab insigni quodam & admirandae pulchritudinis cervo a Colonia Agrippina Tigurum usque in eum ipsum locum (in quo corpora horum sanctorum Dei martyrum requiescebant) pertractus esse legitur. In eo Canoniceorum amplissimo collegio hac tempestate a magistratu urbis Tigurinae omnis generis disciplinarum ac linguarum, facultatum item, Theologicae videlicet, Medicae, ac Juridicae doctissimi professores, ut in amplissima aliqua Academia aluntur, qui variis in lucem editis, de omni doctrinarum genere, monumentis, notiores omnes sunt, quam ut mea celebratione opus habeant.

*Carolus Magnus. Summa Basilica Tigurina.*

*Chronologia  
Monasterio  
in Germania  
S. M*

**E**BRACUM, *Ebrach* magnificum ac opulentissimum Cisterciensium monachorum coenobium, in Ostrofrancis & Herbipolensi Dicecesi, quatuor miliaribus a Schweinfordia, in ipsa Ardua Sylva (vulgus *Steiger Wald* vocat) ad ejusdem nominis fluviolum, quem, ad alterius differentiam, minus *Ebrachium* nominant, situm, in quod omnium Herbipolensium Episcoporum corda, corporibus mortuis execta, quatuor pulchris equis honorifico curru praepositis avehi, & ibi in templi choro prope Domini corporis aediculam honorifice tumulari solent: quodq; olim (rebus nimirum Wurzenburgensis Episcopatus nondum ad tantum

*Episcoporum Wurzenburgensium corda quomodo tumulatur.*